









1752.

30. Richterius, Tr. Tabular : Selectiora juris principia  
pra ad Reg. lib. XV.
31. Richterius, Tr. Tabular : De sumptibus studiorum  
ad peculium quasi certuense non pertinen-  
tibus.
32. Richterius, Tr. Tabular : De testamento a giudice  
incompetente in territorio alicui condito,  
invalido.
33. Richterius, Tr. Tabular : De effectu pacti sine  
domini consensu inibi, quo simul investitur  
in liberam, inter vivos et mortis causa, de  
fundo dispositionem. . . . . consentit.
34. Richterius, Tr. Tabular : Selectiora juris principia  
ad Reg. l. XII. Disp. 19.
35. Richterius, Tr. Tabular : Selectiora juris principia  
ad lib. XIV. Disp. 21.

1752.

36. Richterius, Jo. Tobias : *Selectione juris principia*  
*et Org. Lib. XIII. Trip. 20.* 4
37. Rivinus, Johann Ferrus, fac. jur. procancel.  
Larus : *Programma, quo solennia doctoralia*  
*Christ. Haeri Henrici Breuningii indicit.* 4 3
38. Rivinus, Johann Ferrus : *De exactone legati* 4 9  
*prae causal sub modo relict.*
39. Rivinus, Johann Ferrus : *De filio in testamento* 4 5  
*parentum privilegiato non inheredando*
40. Romannus, Franciscus Guisticlus, fac. jur. procan.  
cellarius : *Programma, quo solennia inaugu-*  
*ralia Corti Guisticlii Mulleri indicit.* 4
41. Siegel, Johann Gottfr. : *De jure superficario*  
*reali quidem, et locumium utile vero haud*  
*trahendo. Programma, quo ad rationem*

aus p[ro]vincialis iurisd[ic]tion[em].

42. Siegel, Jo. Gualter : De legitima ex feudo  
petenda.

43. Hieglitz, Carolus Ludovicus : De fideicommissis fa-  
miliæ ab eis, quorum interest, sublatis

44. Tibius, Jo. Daniel : Luminis lunaris theoria  
nova, argumentis Cl. Euleri superstructa.

45. Wagnerus, Rudolphus : De Distinctione territoriorum  
imperii in clausa et non clausa. Disputatio  
posterior juris publici.

46. Wagnerus, Rudolphus : De Distinctione territorio-  
rum imperii in clausa et non clausa.  
resp. priv. hist.

47. Wechslerus, Christianus <sup>Friedrichus</sup> : De genio  
praeside unicuique proprio.

1752.

48. Wierschauer, *Titus Curtus*: De ecclesia  
et personis ecclesiasticis in genere.
49. Zoller, *Friedrich Guelter*: De sententia Ulpii,  
169 2 Hf., qual in fraudem creditorum:  
ejusque jure Saxonicis facta correctione.  
Programma, quo orationem adhibetam indicet.
50. Zoller, *Friedrich Guelter*: De renunciatione  
hereditatis a filia jurato facta, ob enormem  
laesionem rescindenda.



1752,30.

DISPV TATIO IVRIDICA  
VIGESIMA SECVNDA  
SELECTIONA IVRIS  
PRINCIPIA

AD  
ORDINEM DIGESTORVM EXPOSITA  
LIBRI XV. SPECIMEN I. CONTINENS

QVAM  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS  
INDVLTV

P R A E S I D E  
IO. TOBIA RICHTERO

PHIL. ET I. V. D. NEC NON PROF. PVBL. ET  
COLLEGII MINOR. PRINCIP. COLLEGIATO

AD DIEM XXXI. AVGVSTI A. C. N. MDCCLII.

H. L. Q. C.

PVBLICE VENTILANDAM PROPONIT  
CHRISTIANVS FRIDERICVS HAVCK  
CHEMNITIENSIS.

---

L I P S I A E  
LITTERIS LANGENHEMIIIS.

DISPUTATIO IURIDICA  
VIGESIMA SECVNDA  
SELECTIORA IURIS  
PRINCIPIA

AD  
ORDINEM DIGESTORVM EXPOSITA  
LIBRI XV. SPECIMEN I. CONTINENS

QVAM  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS  
INDVLTVA

FRANCOFURTI  
IO. TORBIA RICHTERO

PHIL. ET L. V. D. NEC NON PROF. PVBL. ET  
COLLEGIJ MINOR. PRINCIP. COLLEGIATO

AD DIEM XXXI. AVGVSTI. A. C. M. MDCCCLII.

M. L. G.

PUBLICE VENTILANDAM PROPOHIT  
CHRISTIANVS FRIDERICVS HAVCK

CHENNIENSI

L I P S I A E

LITTERIS LANGENIENSIBUS



Q. D. E. V.

SELECTIORVM IVRIS  
PRINCIPIORVM  
AD DIGESTORVM  
LIBRVM XV. SPECIMEN I.



**I** Peculium in genere optime definitur: *Quasi patrimonium, quod homo alieni iuris a rationibus eius, cuius in potestate existit, separatim habet.* Etenim bona hominis alieni iuris, quasi seu veluti patrimonium: <sup>a)</sup> ea vero, quae sui iuris homo habet, patrimonium <sup>b)</sup> appellantur. Vnde quam primum aliquis fit sui iuris, peculium mutatur in patrimonium. <sup>c)</sup> Cetera clarissima sunt, quod separatim

A 2

tum

#### 4 SELECTIORA IVRIS PRINCIPIA

tum illud sit a rationibus dominicis vel paternis, quoniam serui et filii familias peculium administrant, aliaque iura in eo exercent. <sup>a)</sup> Male vero ab aliis, indolem peculii permissum domini vel patris, semper exigere, statuitur, quia tam castrense, quam quasi castrense, non semper volente patre, <sup>e)</sup> nec non aduentitium quandoque inuito patre <sup>f)</sup> acquiritur. Pari ratione verbis tantum luditur, nec nisi etymologica traditur explicatio, <sup>b)</sup> si quis peculium, pusillam pecuniam, seu pusillum patrimonium appellat. Pusillum enim id appellari dicunt, intuitu patrimonii domini, seu paterni, quod maius esse soleat illo: at vero facile fieri potest, ut peculii quantitas patrimonium paternum longe excedat; quare sicut alias, ita quoque hac in re definienda, magis rei natura spectari, quam nudis verbis certari debet.

a) L. 32. in f. pr. L. 39. L. 47. §. 6. ff. de pecul. §. 10. I. de actionibus.

b) arg. L. 182. ff. de V. S.

c) L. ult. §. ult. C. de inoffic. testam.

d) vid. L. 5. pr. ff. de peculio. L. 37. §. 1. in f. ff. de acquir. rer. domin.

e) veluti si filius familias, vel in castris praedam faciat, vel ob litterarum studia, quicquam emolumenti capiat, atque hoc vtrumque patre ignorante fiat.

f) vid. L. ult. pr. C. de bon. quae liber.

Obst. L. 5. §. 4. ff. de pecul. Et hanc contrariam sententiam

tiam tuetur IVL. PACIVS *Isagogicor. in Digesta* Libr. XV. Tit. I. n. 2.

g) Ut est in L. 5. §. 3. ff. de pecul.

Conf. PACIVM all. loco, et LYDOVICI *Doctrinam Pandect.* Libr. XV. Tit. I. §. 2.

## II.

Quicquid frater a fratre commilitone, dum vterque in sacris paternis adhuc existit, ex testamento capit, siue integram hereditatem, siue illius partem, id quandoque castrensis, quandoque aduentitii erit peculii. Ita enim ipse TRIPHONIVS <sup>a)</sup>) ICTus distinguit: *De hereditate*, inquit, *ab agnato commilitone data, Scaeuola noster dubitabat; quia potuit, et ante notus, et amicus dare, potuit et non dare, nisi commilitium caritatem au-xisset: nobis ita videtur, si ante commilitium sit factum testamentum, non esse peculii castrensis eam hereditatem: si postea, contra.* Quae sententia summam habet rationem; nam castrense peculium est, quod quis in militia acquisiuit, quodque nisi militasset, acquisiturus non fuisset, <sup>b)</sup>) quamobrem et VLPIANVS <sup>c)</sup>) requirit, ut eo casu, quo quis alteri legat, de affectione castrensi legantis constet, neque aliter id, quod legatum est, tanquam castrense peculium adquiratur. Iam vero, si quis ante commilitium fratrem heredem scribit, cari-

## 6 SELECTIORA IVRIS PRINCIPIA

tas quaedam militaris cogitari nondum quidem potest: si postea testamentum factum, consortium militare omnino aliquid effecisse, caritatemque auxisse credendum est, <sup>d)</sup> quia frater poterat fratrem impune praeterire. Falluntur itaque, qui dicto casu id, quod ultima voluntate relictum, vel semper, <sup>e)</sup> vel nunquam, <sup>f)</sup> peculii castrensis esse, sibi persuadent.

- a) L. 19. pr. ff. de castrens. pecul.  
Obst. L. 8. ff. et L. 4. C. de castrens. pecul.
- b) L. 11. ff. eod.
- c) L. 8. ff. eod. conf. L. 4. C. famil. erciscund.
- d) vid. L. 4. C. de castrens. pecul.
- e) quod affirmant LAUTERBACH. Conclus. For. Exercit. XXVII. concl. 1. et BRUNNEM. in Comment. in Cod. ad tit. C. de castrens. pecul. n. 14. sequ.
- f) quam rem defendit ANTON. PEREZ ad tit. C. de castrens. pecul. n. 4.

### III.

Quod filiusfamilias, vel ab agnato, vel ab extraneo, siue mortis causa, siue inter vivos actu, neque vero ex castrensi, neque ex quasi castrensi causa, attamen ea Lege accipit, ut res data castrensi peculio cedat, id pro re nata, vel ad profectitium, vel ad aduentitium, et postremo casu, vel ad regulare, vel ad irregulare pertinet. Nimirum cuiuscunque peculii speciei naturae res data conuenit, ad eandem speciem iure meritoque pertinebit. Ita

Ita si dans ad patrem principaliter respexerit, res data peculii profectitii erit: si vero datio casum contineat, quo aduentitium irregulare constitui potest, quin res data eiusmodi sit peculii, dubitari non potest. Non enim negotium vllum contra sui naturam explicandum est. <sup>a)</sup>

a) arg. L. 8. ff. de castrens pecul.

Dissent. LAVTERBACH. Conclus. Forens. Exercitat. XXVII. concl. 9. ibique all. SANCHEZ Libr. I. Conf. Moral. dub. 4. n. 3. qui eiusmodi rem datam indistincte aduentitio irregulari accensent.

#### IV.

Legatum confessionario a confessore relictum peculio quasi castrensi haud indistincte cedit. Cum enim hoc peculium ad exemplum castrensis introductum sit, <sup>a)</sup> et id comprehendat, quod acquisitum non fuisset, nisi filiusfamilias acquirens litteris operam dedisset, <sup>b)</sup> merito ex qua causa legatum sit, videndum est. Quod si ergo legans dexteritate confessionarii, qua ex litterarum studiis gaudet, motus legauerit, equidem non dubito, quin res legata peculio quasi castrensi cedat: at si aliam ob causam, vltima sua voluntate erga confessionarium liberalis fuerit, id quod legatum est, illi peculio accenseri plane nequit, potest enim, quis dum legat, etiam in

## 8 SELECTIORA IVRIS PRINCIPIA

in confessionario suauitatis illius, singularis virtutis, atque alius causae, quam litterarum aut muneris rationem habere. Ceterum iste casus, quo haec moueatur quaestio, apud nos vix eueniet, cum filiusfamilias verbi diuini minister constitutus, plerumque separatam oeconomiam institutam habeat, eoque a patria potestate liberetur, et post hanc solutam, omnis de peculio instituenda disquisitio cesset.

a) §. vlt. I. de militar. testam. L. vlt. pr. et §. 1. C. de inoffic. testam. iunct. L. 11. ff. de castrens. pecul.

b) arg. L. 4. C. de aduocat. diuerfor. iudic. L. 1. C. de castrens. pecul. L. vn. C. de castrensi omnium palatinor. pecul.

Obst. Auth. *Presbyteros* C. de Episc. et Clericis.

### V.

Honorarium, quod procuratores quorumuis iudiciorum pro praestitis operis accipiunt, quinimo notariorum, hodieque constituit peculium quasi castrense. Quamuis enim eiusmodi personae operas magis, et labores corporis praestare videantur, quandoquidem non vt aduocati ius exponunt <sup>a)</sup>, sed mandato domini eius negotia tantum gerunt <sup>b)</sup>; tamen artem suam, non nisi ex ingenio studiorumque auxilio exercent. Quomodo enim procurator iudicialis, aequae ac notarius suo rite fungi potest officio, nisi Leges, modumque



que procedendi praescriptum vterque cal-  
leat? <sup>e</sup>) Nec ego solam Legum notitiam iis  
sufficere, sed vt cognitam iuris normam, ad  
facta quae obueniunt, applicare sciant, re-  
quiri arbitror, quia et earum rerum, quas  
procuratores et notarii expediunt, diuersissi-  
mae concurrere solent circumstantiae, quae  
exigunt, vt non semper eadem regula, idem-  
que modus obseruetur, sed pro re nata actus  
quidam diuersa ratione celebretur. Quis  
itaque doctrinam et eruditionem etiam in  
procuratoribus atque notariis requiri, nega-  
bit? Quicquid igitur, hoc officio suo ac-  
quirunt, id ex artibus liberalibus acquisitum,  
adeoque peculii quasi castrensis esse censetur.

a) L. 1. §. 2. ff. de postulando.

b) L. 1. pr. ff. de procurator.

c) BACHOV. de Action. Disp. I. coroll. 2. p. 141. id  
minimum in procuratoribus superiorum iudiciorum  
ordinariis admittit. Cur vero idem in inferiorum iu-  
diciorum procuratoribus locum non habeat, ego non  
video.

Dissent. LAUTERBACH. Conclus. Forens. Exercitat.  
XXVII. concl. 6.

## VI.

*Filiifamilias, quod ait VLPIANVS, <sup>a</sup>) in  
castrensi peculio vice patrum familiarum fun-  
guntur, idque ad quasi castrense peculium,  
extensum fuit: <sup>b</sup>) de vtroque autem illis tum*

B

inter

IO SELECTIORA IVRIS PRINCIPIA

inter viuos, tum mortis causa actu libera competit dispositio. <sup>c)</sup> Hinc male nonnulli <sup>d)</sup> affirmarunt, differentiam esse inter ius ciuile et canonicum in eo, quod illo iure pater consentire debeat filio, in castrensibus et quasi agentis, ita quidem vt filius in castrensi ne quidem litigare possit, sine consensu patris: hoc autem, videlicet canonico iure, id saltem in spiritualibus permittatur. Etenim de aliqua re libere agere, et simul tamen in eadem alterius consensu indigere, sibi contradicit. Deinde illius opinionis defensores aperte principium petunt, quod ex ICTI G A II <sup>e)</sup> effato clarum fit, qui dicit: *Lis nulla nobis esse potest cum eo, quem in potestate habemus nisi ex castrensi peculio.* Cum itaque ipsi patri cum filiofamilias lis esse possit, illum quidem huic in castrensibus, cum extraneo agenti consentire debere, necessitas nulla postulare videtur. Neque pater cessante patria potestate haberet causam, cur consentiret, cum is potestatis solutae sit effectus, vt filius non amplius pendeat ab arbitrio patris. Neque his casibus alieno auxilio filius facile indigebit, quia castrense, vel quasi castrense peculium acquirens, procul dubio eius erit aetatis, qua sibi met ipsi satis prospicere potest.

a) L. 2,

- a) L. 2. ff. de SCro Macedon.  
 b) L. 6. pr. in f. C. de bonis quae liber.  
 c) pr. I. quibus non est permiffum facere testam. L. 2. C. de castris. pecul. milit. et praefectian.  
 d) vid. ARVMAEI Exercitat: ad Pandect. Disp. VII, Th. 3.  
 e) L. 4. ff. de iudiciis  
 Obst. L. 8. §. 6. C. de bonis quae liberis.

## VII.

Vtrum in bona patris vel domini latitantis mitti possit is, qui de peculio acturus est, si nihil est in peculio, iuris interpretes quaerunt. Et utramque sententiam affirmare sibi que aduersari videntur PAPINIANVS et VLPPIANVS Icti. Nam PAPINIANVS ait: <sup>a)</sup> *Eo tempore, quo in peculio nihil est, pater latitat: in bonorum possessionem eius rei seruandae causa mitti non possum, qui de peculio cum eo acturus sum: quia non fraudationis causa latitat, qui, si iudicium acciperet, absolui deberet.* Sed VLPPIANVS <sup>b)</sup> contra sentit: *Si quis actione, inquit, de peculio filii vel serui nomine conueniri possit: si latitet, eo iure utimur, ut possint bona eius possideri, et venire, tametsi nihil fuerit in peculio; quia esse potest, et rei iudicatae tempus spectamus, utrum sit, an non sit, et quod teneat actio, etiamsi nihil in peculio fuerit.* Quibus in effatis nonnulli DD. antinomiam inexplicabilem esse contendunt.

Ego vero nodum hunc facillime dissolui posse arbitror, dummodo vtriusque ICTi mentem curate perpendamus. Videlicet PAPI-  
NIANVS aperte loquitur de casu, quo certis-  
simum maximeque cognitum est, in peculio  
nihil esse, adeoque patrem vel dominum non  
obligari, quod satis apparet ex verbis: *quia  
non fraudationis causa latitat, qui, si iudici-  
um acciperet, absolui deberet.* Vnde enim de  
his constare potest magis, quam si ex re iudi-  
cata vel aliis circumstantiis perspectum est, ex  
re peculiari nihil superesse. c) VLPNIANVS  
contra casum dubium supponit, vbi nondum  
exploratum est, an supersit quicquam ex pe-  
culio nec ne, et vbi id quidem instituta de-  
mum actione peruestigandum est. Eamque  
ICTi sententiam totus contextus clare osten-  
dit; nam dicitur: *si quis de peculio conueniri  
possit, item: quia esse potest, et rei iudicatae  
tempus spectamus, utrum sit, an non sit, et quod  
teneat actio.* Vbi quis igitur conueniri adhuc  
potest, vbi rei iudicatae tempus adhuc spe-  
ctandum, et vbi actio adhuc tenet, ibi pro-  
cul dubio nondum confectum est, quod res  
debita superesse, debitorque obligari desierit.  
Ita, qui bene distinguit, bene docet.

a) L. 50. pr. ff. de peculio.

b) L. 7. §. 15. ff. quibus ex causis in possession. eatur.

c) conf.

c) conf. allegat. L. 50. pr. in f. ff. de pecul. vbi PAPINIANVS addit: *eo tempore, quo nihil in peculio est, fideiusforem datum teneri.* Ex quo nostra interpretatio eo certior fit.

## VIII.

Pecunia lustrica, das Pathen Geld male a nonnullis ad peculium profectitium referitur. Hoc enim peculium tantum continet id, quod ex re patris, vel eius contemplatione filio obuenit: <sup>a)</sup> at vero neutrum de pecunia lustrica dici poterit. Neque enim ea ex re patris prouenit, quoniam a patrinis offertur. Nec patris contemplatione data censetur, quoniam infanti baptizato, in ipso baptismatis actu datur, quippe quod et IVSTINIANVS <sup>b)</sup> imperator haud obscure constituisse videtur, quando de testatore filiofamilias legante disponit: *plerumque verisimile esse, testatorem contemplatione magis filii, quam patris vsumfructum ei reliquisse.* vnde inferri licebit, eum qui filio munus offert, plerumque filio magis, quam patri donare voluisse. Quin autem eadem regula de patrinis valeat, quid impedit? Parum nocet, quod filii merita non praecedant; nam donatio, quae hic subest, non ob merita fit; sed ex sola liberalitate. Nec ad rem facit, quod nobiliorum infantibus plus offerri, adeoque in determi-

nanda pecunia lustrica interdum ad patris dignitatem respici solet; qui enim inde peculium profectitium demonstrant, principium petunt, cum illud non nisi ex accidenti fiat, et saepenumero vilissimae conditionis patris infanti, tantum offeratur, quantum nobiliore genere nato satis fuisset offerri. Ad quamnam igitur peculii speciem pecunia lustrica pertinebit? Equidem eam, ex iuris communis etiam ratione, aduentitii ordinarii esse peculii, statuerem, <sup>c)</sup> quia non occasione militiae, nec ex re patris acquisita est, nec in Legibus reperitur, quod in ea filio libera concedatur administratio.

a) §. 1. I. per quas perf. cuique acquir.

b) L. ult. in f. C. de usufruct. et habitat.

c) vid. CARPZOV. P. I. Const. 24. def. 18.

Dissent. SIMON A GROENEWEGEN in Tr. de Legibus inusitatis et abrogatis ad L. 19. §. 1. ff. de peculio. ob all. L. 19. §. 1. vers. *ideo.* et L. 28. pr. ff. de testam. tutela. et L. 42. ff. de condit. et demonstr.

## IX.

Iura peculii castrensis et quasi, non omnia in aduentitio irregulari obtinent. Licet enim hoc eius generis sit, in quo pater nihil habet, filioque actu inter vivos libera ut in castrensis concedatur administratio; <sup>a)</sup> in eo tamen magna cernitur differentia, quod filius  
in

in castrensibus, <sup>b)</sup> non item in aduentitio irregulari pro patrefamilias habeatur. <sup>c)</sup> Ex quo porro facile fuit, filium quidem de militari, non autem de aduentitio irregulari peculio testamentum condere posse. <sup>d)</sup> Quae cum ita sint, ego non video, quid mouerit nonnullos, <sup>e)</sup> statuere, filiumfamilias, intuitu peculii aduentitii irregularis, non quidem quoad actus mortis causa, attamen quoad actus inter viuos omnino pro patrefamilias haberi. Loquuntur enim sine Lege, nec in iure nostro semper id, quod viui possunt, morientibus permissum est. <sup>f)</sup>

a) Nou. CXVII. c. 1. §. 1.

b) L. 2. ff. de SCto Maced. L. 6. pr. C. de bon. quae liber.

c) deficit enim Lex, vid. LAUTERBACH. Colleg. Pandectar. Libr. XIV. Tit. 6. §. 10. et Libr. XV. Tit. 1. §. 18.

d) arg. pr. l. quibus non est permiss. facere testam.

e) LUDOVICI Doctr. Pandect. Libr. XIV. Tit. 6. §. 4.

f) cuiusmodi exemplum in casu nostro deprehendimus. vid. L. 11. L. 12. C. qui testam. fac. poss.

Obst. arg. §. vn. l. de Lege Fusia Canin. tollenda. Nou. CXVII. c. 1. §. 1.

### X.

Filius ex causa peculii profectitii contrahens, licet pater totum non soluerit, tamen residuum soluere non tenetur; filius enim in hoc peculio sibi nihil, sed omnia patri acquirit, <sup>a)</sup> vnde contrahens non tam semet ipsum quam patrem obligasse censendus est. Deinde hoc casu

casu cum sciente de peculio profectio contraxit, ex quo obligatio non nisi quatenus peculium patitur, nasci poterat: <sup>b)</sup> vnde nec plus iuris, quam quatenus peculium patitur, alteri contrahenti acquiri potuit. Et quamvis filiusfamilias obligari, et a Creditoribus conveniri in Legibus dicatur, id tamen nonnisi de re peculiari accipiendum est, <sup>c)</sup> ne contractus eo nomine celebratus, ultra contrahentium intentionem extendatur.

a) L. 79. ff. de acquir. vel. ommitt. hered.

b) §. 3. et 4. l. quod cum eo qui in alien. potest.

c) arg. L. 57. ff. de iudiciis

Obst. L. 44. L. 45. ff. de peculio Conf. STRYKII Vfus Modern. Libr. XV. Tit. 1. §. 3.

### XI.

Actio quod iussu obtinet, quoties quis ex voluntate eius, qui illum iubere poterat, contraxit, siue voluntatis declaratio praecesserit, siue subsecuta sit. Nam si pater vel dominus mandavit, iussisse videtur, <sup>a)</sup> quinimo si rati habeat quis, quod servus eius vel filius gessit, pro iubente habetur. Ex quibus perinde quoque esse arbitror, siue is, qui cum filio vel seruo contraxit, iussum patris vel domini sciuerit, siue ignoraverit, quia mandans hoc loco censetur iubere.

a) L. 1. §. 3. ff. Quod iussu.

b) L. 1. §. 6. ff. Eod.

Dissent. LUDOVICI Doctrin. Pandect. Libr. XV. Tit. 4. §. 2. ob L. 5. ff. Quod iussu.



ULB Halle  
005 372 50X

3



WIP





1752,30.

DISPUTATIO IURIDICA  
VIGESIMA SECVNDA  
**SELECTIORA IURIS  
PRINCIPIA**

AD  
ORDINEM DIGESTORVM EXPOSITA  
LIBRI XV. SPECIMEN I. CONTINENS  
QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS  
INDVLTV  
PRAESIDE

**IO. TOBIA RICHTERO**  
PHIL. ET I. V. D. NEC NON PROF. PVBL. ET  
COLLEGII MINOR. PRINCIP. COLLEGIATO

AD DIEM XXXI. AVGVSTI A. C. N. MDCCLII.  
H. L. Q. C.  
PVBLICE VENTILANDAM PROPONIT  
**CHRISTIANVS FRIDERICVS HAVCK**  
CHEMNITIENSIS.

L I P S I A E  
LITTERIS LANGENHEMIIS.

